


VIRI CLARISSIMI,

SALUBERRIMO Medicorum Parisiensium Ordini placuit olim sui Collegii Constitutiones, Leges, Statuta & Decreta in unum corpus Colligere, Typis mandare, singulisque Doctoribus, recèns inauguratis distribuere, ne ab illis discedatur. At, quoniam Codicis hujus præstantissimi nulla prorsùs jàm à pluribus annis distribuenda nobis supersunt exemplaria, vobis fortassè non erit injucundum, si quædam ex hoc libro deprompta, ad Comitia Facultatis præsertim pertinentia, vestris sub oculis hodiè subjiciamus. Sequuntur itaquè



EXCERPTA,

Ex antiquis Facultatis Medicinæ Statutis.

ART. XXXIX.

Quilibet eo Ordine sedeat, & sententiam dicat, quo fuerit ad Doctoratum promotus.

Ex appendice ad reformationem Statutorum.

ART. XXIV.

Doctores ad Facultatis Comitia vocati graviter

& honeſtè ſe gerant, conſilia ſua de re propoſitâ tranquillè, placidè, ſigillatim & ordine exponant, nec quiſquam Collegæ ſententiam interrumpat: ab iſtiuſmodi Conſeſſibus procul abſint tumultus, injuriæ, probra, jurgia, maledicta.

Ex novis Facultatis Medicinæ Statutis.

ART. VIII.

Doctoribus cum veſte talari & Manicatâ, pileo quadrato, humerali coccino & modeſto, qualis eſt Togatorum, colli amictu, interiores inferiorum Scholarum cancelli dumtaxat pateant, atque hoc ornatu, Baccalaureorum Actibus ſedentes immorentur, de eorum eruditione judicium laturi, ibidemque in oblato Catalogo datâ ſubſcriptione præſentiæ ſuæ teſtimonium exhibeant, alioquin ſi in diebus Actuum extra laudatos Aulæ interioris limites inſcribendæ ſyngraphæ copiam à Bidellis obtinuiſſe conſtet, illi jure ſuffragii priventur, hi verò plectentur pecuniæ ſummâ ad arbitrium Facultatis.

X.

In inferioribus quoque Scholis articulus vigeſimus - quartus Appendicis reformationi Statutorum additæ accuratè ſervabitur, neque de Doctoribus quiſquam gallico idiomate utatur in diſputando, & ſuo tantùm ordine argumenta proponat in reſpondentem Baccalaureum, nec Collegam ſuum

loquentem ullatenus interpellet ſub mulctâ privationis juris rotuli, aut alterius mulctæ infligendæ ad arbitrium Facultatis.

Ex Decretis Facultatis Saluberrimæ.

Facultas univerſa legitimè congregata, ut tetram quorumdam maledicendi licentiam inpoſterùm coërceret, decrevit poſtulante M. Claudio ROUSSELET *Pariſienſi, ut ſi quis Doctor alteri Doctori injuriam intulerit, aut in eum aliquid contra famæ & nominis dignitatem contumelioſiùs dixerit, feceritve, is è Doctorum catalogo expungatur, omnibuſque honoribus, emolumentis, omni denique ſocietatis jure privetur. Decretum in Scholis ſuperioribus, die* 31. *Auguſti* 1574. *M. Joanne* LE CONTE *Meldenſi, Decano.*

Die Sabbati vigeſimo-quarto Auguſti 1675, *Facultas legitimè convocata, ut... quorumdam loquacitatem & audaciam comprimeret, voluit, juſſitque poſtulantibus Magiſtris Joanne-Baptiſta* MOREAU, *Cenſore, & Dionyſio* PUYLON, *ut quicunque turbato in Comitiis ordine tumultuatus fuerit, vel ſententiam ferentem interpellaverit, vel ullâ injuriâ Collegam affecerit, modò de re planè conſtet, ſummâ quindecim libellarum ex vectigali Facultatis in Sacelli ornamenta impendendâ mulctetur; qui verò ſordidâ prenſatione in alterius detrimentum cujuſlibet ægri curam ambire auſus fuerit, ſi res plana ſit, Scholæ omnibus emolumentis privetur, ac de Doctorum albo expungatur, & ita cum Facultate concluſit,* MORAND, *Decanus.* His præmiſſis,

PER JURAMENTUM

CONVOCENTUR Doctores Medici omnes, in Scholas Superiores, die Lunæ proximo, horâ *ipsissimâ* decimâ matutinâ, de re gravissimi momenti ad Scholæ dignitatem pertinente, in ultimis, præcedentibusque aliis Comitiis jam discussâ, ultimò, si fieri possit, componendâ, deliberaturi; nec non Comitia, *prima mensis* vulgò dicta, celebraturi. DATUM Lutetiæ Parisiorum, die Mercurii vigesimo-septimo Novembris, Anno MDCCXLVIII.

J. B. T. MARTINENQ, Decanus.